



1. De Paulo, gentium apostolo . 10.
2. de poena haereticorum
3. De Iuda Sacrae Scriptae conviva .
4. Examen tentationis veterum Christianorum de militie .
5. De infallibilitate pontificum .
6. Examen variarum opinionum de regno posteriorum Abrahami in Aegypto .
7. De ultima vocina Christi Parthali .
8. Historia Trifagii .
9. Examen miraculi Legionis talminatricis
10. Exercitia demonstrandi in nonnullis syllogismi affectionibus
11. De cognitione spiritus finiti circa mysteria
12. Theoria electricitatis
13. De triplici renum cognitione historica, philosophica et mathematica
14. De nonnullis ad poema pertinentibus
15. De axiomatis philosophicis articulos generales .
16. In Benedicti Spinozae methodum explicandi scripturas variae .
17. De praecipuis quibusdam diuinendi regulis ea comparatione corporis  
et animi eruditio .
18. De Michael archangelo non creato sed creatore Iesu Christi
19. Michael archangelus non creatus sed Creator Iesu Christi
20. Demonstratio res de prophetarum ordine canonizatio .
21. De precatione Christi pro avertendo calice. Matth. 26, 39
22. De Christo a Judaeis conspuienti .
23. Vindiciae Testius Graeci Novi Testamenti

QVOD FELIX FAVSTVM QVE  
DEVS FAXIT.

17

---

DE  
**A X I O M A T I S**  
**PHILOSOPHICIS**  
**A R T I C U L O S G E N E R A L E S ,**  
CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACULTATE  
PHILOSOPHICA ,

DIE SEPTEMBRIS A. M DCCXXII. H. L. Q. C.  
DEFENDENT

**G E O R G I V S B E R N H A R D V S**  
**B I L F I N G E R ,**  
PHILOS. MAG. ATQVE PROFESS. EXTRAORD.

ET

JACOB. FRIDERIC. MÜLLER, *Brackenheimensis,*  
ARTIVM LIBERALIVM CVLTOR, ET SEREN.  
STIPENDIARIVS.

---

RECVSA  
**I E N A E ,**  
LITTERIS CHRISTIAN. FRANC. BUCHII.





§. 1.



Iraris forte thematis optionem, AMICE LE-  
CTOR, saltim ejus argumenta postulas. Com-  
mune illud est *utrique Collegio*, quo *Logicam* hac  
æstate & *Metaphysicam* percurrimus commili-  
tones, publicum doctrinæ ibi expositæ & profectuum inde  
haustorum specimen daturi disputantes. Regulas enim *al-  
terum* explicuit dijudicandi Axiomata, *alterum* eas ad rece-  
pta Scholarum dicta applicuit. Illud *commodum acedit*, ut  
difficilem alioqui per varias rerum circumstantias electionem  
temporis articulus determinaverit. Dum enim vacare pri-  
mum scriptioñi licuit, ad exponenda Auditoribus Logicis  
Axiomatum requisita *ordo* nos deduxerat. Constituimus  
adeo, duos eadem opera labores explere, & publice simul  
aque privatim inservire dissentibus.

§. 2. *Uilem enim de Axiomatis commentationem ar-  
bitror, quoniam illa cognitioni nostræ principia subster-  
nunt, si bona sint, si mala, erroribus. Neque illam satis ex  
dignitate materiam omnes persecuti sunt: Aliqui etiam erran-  
di causam aliis fecerunt. Modeste id, quod gravius posset,  
in JO. LOCKIO notavit LEIBNITIUS: „Il me  
semble, que les Axiomes y (Libr. IV.) sont un peu moins  
consideres, qu'ils ne meritent de l'être. C'est apparem-  
ment, parce qu' excepté ceux des Mathematiciens on n'en  
trouve guere ordinairement, qui soient importans & soli-  
des. J'ai taché de remédier à ce défaut.,, v. Recueil de di-  
ver-*

verses Pieces de Mrs. Leibniz, Clarke, Newton, Tom. II.  
p. 152. col. p. 141.

§ 3. Est vero operæ pretium, puto, si quis *Criteria* enumeret, quibus internoscere principia falso credita a veris, a dubiis secernere certa possis. Dolet animus mihi, quories illam *memoria carnificinam & exercitationem credulitatis* cogito; qua consuevimus enunciationes vaga quadam specie veritatis blandientes, vel famosi alicujus Philosophi dictata, tanquam oracula totidem, & Regulas, Canones, Axiomata, Principia, Veritates primas & communes venari, ediscere, tueri. Neque possum tamen illis accedere, qui, excusso semel jugo, antiqua *omnia proscriptabant*, & bona malis mixta eadem cum illis ruina involvunt. Ille est vray (inquit *Leibnitius l. c. p. 154*) que nous aprenons bien des inutilités dans les Ecoles: Mais il est bon de faire la fonction *della Crusca*, c'est à dire, de separer le bon du mauvais. Quidni enim sejungere liceat a *falso* verum, ab *ambiguo* certum, determinatum a *vago*, à *tolerabili* accuratum?

§ 4. *Triplex* nimirum in propositionibus naturaliter cognitam veritatem distinguo. Alias *per se* veras agnosco: Alias *ex demonstratione vel experientia* veras, sed exactas, concedo: Tertias toleranter veras nomino, *Joachimum Jungium* ista appellatione fecutus & *Leibnitium*. \* Atque hoc quidem loco

A 2 pt-

\* Nota est Geometris disquisitio Petri Varignonii & Guidonis Grandi de plusquam infinitis Jo. Wallisi; nota Antonii Arnaldi sollicitudo de proportionibus quantitatuum affirmativa-rum & negativarum, sive nihil minorum: *Leibnitius* illas imaginarias rationes dixit, non veras, quibus tamen in calculo feliciter utaris; & propositiones de quantitatibus nihil minoribus, de lineis infinitis Euclidis usitatas, de infinite parvis Geometriæ transcendentis, de areis hyperboliformibus asymptoticis infinitis, atque infinities infinitis, dixit esse toleranter veras, quæ explicacione rigidentur gradus autem esse tolerabilitatis & cautelas. v. Acta Er. Lips. 1712. m. Apr. p. 168. Similia jam olim monuerat de Axiomate: *Extrema in idem recidunt*, de Circulis radiorum

primam attendere speciem constitui, *genera* illarum veritatum requisita & merita expositorus, quæ, si placeat, ad specialia prolixius applicare & regularum adeo usum tentare, per te ipsum possis; fœcundas enim illas arbitror, & consequentiarum abunde feraces. Sed age repetamus rem ab ovo, quod dicitur, & universam brevi discursu persequamur.

S. 5. Quicunque scientiam profitentur philosophi, illos ludere operam necesse est, si *in infinitum* progredi argumentando velint; similes illis, qui definitiones quererent omnium in suo discursu terminorum. Quis, obsecro, absolvat *Analyſin*, si propositiones nullæ sint, in quibus liceat acquiesceret? quis in immensum sibi argumenta subordinet, semper plura? Nimurum hic verum foret, quod de Hydra fixxit antiquitas, resciſſo uno capite renasci bina. Et quis incoet *Synthesin*? quis prima rebus intelligendis fundamenta ponat, si abyssus philosophica primum nihil habet aut *infimum*? Igitur *alterum oportet eligas*; aut nihil intelligis rerum, aut prima & per se vera admittis.

S. 6. Neque *exspecto anxius*, num forte malis ejurare omnem de rebus certitudinem, quam concedere veras sua ipsarum dignitate & evidentiā propositiones. Sunt inter *antiquos*, quibus hæc dica scribitur: quo jure non dicam; de non paucis dubito. Defunt enim eorum monumenta: & quæ exstant, adversariorum testimonia sunt. Ne suffugium

infinite magnorum, & circumferentiis eorum rectis & similibus, de quibus in Journ. des Scavans 1692. 2. Juin p. 368. 369. edixit: *Omnia sana sanis*: Et esse illa in calculo utilissima, vulgatis Catoptricorum, Dioptricorum, Mechanicorumque theorematum generalium exemplis conflat intelligentibus. Ex moralibus huc illa referas, quæ *cum granulo salis intellecta* concedimus; quæ etiam in Theologia naturali *ανθρωπίδες* dicta, *θεοπεπτός* interpretamur, & similia: quæ *sonantioribus* nonnemo verbis expressit, quando distinxit propositionem *cataodialiter* & *restrictive* summat, illam (*κατα πόδα intellectam*) falsam, hanc *veram* enunciavit.

gium hoc putes, accipe exemplum. *Clitomachi philosophi*, in quo tertiam exspiratio Academiam tradimus communiter, fragmentum exstet, ex quo tercia de Academicorum Philosophia dissertatione *Foucherius* Divisionensis Canonicus hæc habet, repetita in Journ. des Savans 1693. 16. Mars p. 182. „ Vehementer errare eos, qui dicunt, ab Academicis sensus eripi, a quibus nusquam dictum sit, aut color, aut saporem, aut sonum nullum esse, „ idemque afficerit, non dubitare Academicos per illius fragmenti testimonium, de iis, quæ immediate & per se cognita sint aut percepta, propterea quod nihil falsi cognitum aut perceptum esse possit. „ Sed nolo ista & similia hic extendere.

§. 7. *Suntemus* potius illud præliminare, *sciri aliquid posse*: atque illi adjungamus alterum §. 5. connexum, *dari veritates si ipsis claras*, quarum sine demonstratione vim agnoscere & venerari debeas. *Axiomata* communiter vocamus, quod digna sint, quibus fidem habeas & assensum præbeas: *Canones*, quod ceterarum quoque veritatum normam præstent & regulam: *Principia*, quod ex illis erui cetera & possint & debeant: *Veritates etiam primas*, quod ab illis incoare aut in iisdem terminare demonstrationem liceat: & *Notiones* denique *communes*, quod universali hominum, sano capite utentium, aut serio rem agentium, \* consensu firmentur.

§. 8. Non sunt ista perfecte *Synonyma*, neque eodem semper sensu obvia; sed non scribo Lexicon: quæ ego post-

A 3

hac

\* Recte enim, ut facile parer, inter antiquos Aristoteles, externum sophistarum dissensum non derogare axiomatis: neque enim, inquit, ad externum sermonem demonstratio pertinet, sed ad eum, qui est in animo; semper enim licet objicere adversus externum, contra internum non semper. v. Analyt. Post. L. 1. c. X. n. 7. ex distinctione Paciana. Eoque Vitum Müllerum, Tubingensem Organi Aristotelici Analytam, in Organo per quæstiones explicato pag. 763. Vbi recte: „ Quemadmodum oculi acuti ad colores, ita mens & conscientia ad axiomata. „

hac, ut mea edisseram, illorum significationes sufficienter antea determinabo. Neque amplificationes quero, aliqui multus essem in evolvenda illa appellatione, qua *principia* nobis *connata* veteres & recentiores, diverso & multipli- ci sensu, dixerim. Sunt & alia, quibus eadem res venditatur, nomina. Ita *Bartholomeus VIOTTUS* L. III. de demonst ratione c. VII. p. m. 121. inquit: Axioma, seu dignitas, seu præloquium, seu maxima est propositio univerialis adeo manifesta, ut ex sola vocum cognitione omnibus innotescat, nulla addita probatione. Vocantur etiam Propositiones *honoriae*, & quæ sunt similia. v. Müllerum in *Ori gano* Explic. Quæst. in L. I. Post. Anal. c. II. p. 690.

§. 9. Illud facile intelligitur, ut de Axiomate prædicari attributa §. 7. enarrata possint: neceesse esse, ut propositio sit *generalis*, & *ejusmodi*, ut, explicatis terminorum eam ingredientium definitionibus, attendentibus appareat, oppositam propositio nem involvere contradictionem. Et hæc quidem *laxior* vocis acceptio est: qui *majorem* in demonstrationibus *rigorem* sectan tur, illi cum *Christiano WOLFIO* in Comment. de Methodo Mathem. §. 30 inquiunt: „Quicquid ex consideratione eorum, quæ in una definitione continentur, *immedia te* deducitur, *Axioma* vocatur, si quid rei convenire aut non convenire enunciet; *postulatum* vero, si quid effici posse affirmet vel neget, „ Propositionem vero theoreticam ex pluribus definitionibus inter se collatis erutam, *Theorema* appellant ex §. 38. \* Eoque multa referunt inter Theorematum, quæ ceteris Axiomata vocari solent. §. 10.

\* Si mireris, qua forte de *caussa* & *postulati* & *theoremati* definitionem occasione hac transcriperim: memeno non paucos sape in significatibus illis hæcere, etiam quos minime credidisses. Ita *Doctissimus Taurinensis Philosophus* atque *Medicus Bart. VIOTTUS*, idemque magnum suis de demon stratione commentaris nomen consecutus L. III. c. VII. in tergo p. 127. . . 133 prolixè, sed minus distincte, de positionibus, suppositionibus, subjectionibus, petitionibus, postulatisque & definitionibus exponit. Ut de aliis non dicam. Tu sequere, si placet, *Wolffum* in Log. c. 3. §. 12. . .

§. 10. Ut universam rem facilius assequare, primum de Axiomatis loquamur laxius intellectis, sed probis tametum vero sensim §. 25. sqq. animos ad maiorem elevemus rigorem. Requisita facile ex definitione petas: 1. Propositionem dixi, & terminorum definitiones postulavi; itaque exesse jubeo vagas indeterminatasque vocum potestates, praefari autem volo claras distinctasque rerum ideas, & exhiberi adeo definitiones minimum nominales, si reales defint. 2. Generales dixi, non individuales, sed neque particulares. 3. Illud requiro, ut ex definitionibus solis attendentis dispaleat, oppositam propositionem esse contradictoriam; adeoque impossibilem quidem illam, nostram vero necessariam, & immutabilem, & universalem & exceptionis omnis impatientem.

§. 11. Non dixi explicite, requiri veram propositionem, quoniam id eminenter in tertio continetur. Neque mediocrem attentionem dixi, Artem cogitandi ista limitatione secuturus, & qui eidem consentiunt, Auctores omnino celebres: Etsi diserte Vir doctissimus P. IV. c. VI. id criterium urgeat, „videndum, inquiens p. m. 338. an mediocri tantum attentione opus sit, ut sciamus, attributum in idea contineri; an vero alia adscendenda sit idea, cuius ope hanc connexionem detegamus. Nam si adscititia idea opus non sit, ad hanc detegendam, propositio axiomatis dignitatem habebit, praesertim si ad hanc connexionem cernendam mediocris attentio, quam vel mediocria ingenia possunt adhibere, tantum requiratur, & quæ seq. in regulis. Nolo hunc discursum rigidius censere: Unum moneo, mediocrem attentionem non magis determinatam videri, quam illa Pascalii de ingenio Geometrico, quando jubet Geometram definire omnes terminos parumper obscuros, & probare veritates parumper dubias, vel ut eadem Ars cogitandi enunciat, proposicio-

15. non Aristorelem, qui Analyticorum Posther. I. c. postulatum vocat, quod est subcontrarium opinioni dissentis, quod cum sit demonstrabile, aliquis sumit, eoque utitur non probato, &c.

sitiones *subobscuras* probare. Recte enim, nisi fallor, *Leibnicius maller*, ut definivissent *limines*, quos ultra aliqua notio aut enunciatio non amplius parumper obscura vel dubia est, v. A. E. 1684. m. Nov. p. 542.

§. 12. Vagis ex omni discursu ideas atque propositiones eliminari velim: quanto magis *exesse axiomatis?* Poteſt altero ſenſu verum, altero falſum eſſe. Illo admittitur ut axio-ma, hoc applicatur ut principium. Eleganter vero! Reſtius CROSA: ſenſum, quo Axioma admiſteris, aut antecedens Theorema demonſtraveris, debere animo praefentem eſſe, cum illud adhibere deducendis ex eo conſclusionibus allabores. \* Sin id moleſtius confiſcium fuerit, *commodeſius* hoc *ar-tificium* habe, determina omnium verborum, quibus uti ſo-les, potestatem, neque in omni tuo labore aut ſtudio il-lam commuta: Ita fieri, ut unaquaque vox ideam ſibi re-ſpondentem habeat, vel diſtinctam vel claram, falſim de-terminatam, neque in diversis propositiōibus diversam, neque in eadem enunciatione dupli-tem ſignificationem nan-cifcatur.

§. 13. Ita miror, vexatissimos ſa-pe atque exasperatissi-mos philoſophorum *Canones* in primo hoc examine ſtatim de-ficeri. Quam ſolenne eft in Metaphyſicis, atque Logicis il-lud Syllogiſmorum omnium, fi nonnullis creditur, axioma fundamentalē: *Quae conuenient in uno tertio, illa in eſe conueniunt.* Verum dic age, quid ſit, conuenire in tertio, quid con-venire inter ſe? Dic, niſi grave ſit, ita *explicite*, ut a tuo ſenſu, niſi mea culpa, aberrare in applicatione non poſſim! Dic ita, ut ſubſtitutis in loco terminorum definitionibus attenden-ti manifestum ſit, oppoſitam praefenti enunciationem eſſe con-tradiectoriam; ut exceptionem tua regula nullam patia-tur; ut limitatione non indigeat! Niſi iſta feceris, feres, ita puto, patienter, fi *axiomatis honorem* propositiōnegem. De applicatione ad Syllogiſmos nihil dicam. Attende ta-men, fi placet, annon *eadem vox dupli-tem* ſignificatum ſu-stineat, ubi dixeris, prædicatum & ſubiectum conſclusionis con-

\* Vid. *Reflexions sur l'utilité des Mathématiques* §. XXXII. p. 42.

• 30 •

---

convenire in medio? \*\* adeoque an ex hoc capite in primum axiomatis requisitum impingas?

S. 14. Nolo majores exagitare nostros, alioquin plura in promptu exempla forent. Satis *vaga* dicitur, qualis causa, talis effectus: Quæ quis non habet, alteri non potest dare; Propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale; Qui vult finem, vult etiam media; Causa causæ est causa causati; & quæ sunt similia in infinitum. Ut enim mollissime rem enunciem; vel *vaga* est vocum significatio, vel, ubi limitata est, *identicam* propositionem facit, quam sine ambigibus & doctore per te ipsum nosset. Postulas asserti specimen! *Quod quis non habet, inquis, alteri non potest dare.* Sed DEVS corpori extensionem largitur: An ergo & ipse habet? Raphsonum & similes, qui DEO, Spiritibus & spatio, quod fingunt, absoluto extensionem adjudicant, hic non moror. Aliud morbo pharmacum paras: habet omnino, sed non *formaliter*, habet *eminenter*. Nondum acquiesco: qui aliquid altero eminentius habet, potest dare minus, sed in eodem genere, in diverso non semper. Habet, inquis,

B

vir-

\* Non patitur hic locus plura. *Unum de Syllogismo affirmativo speciem* dabo, auditoribus quidem meis facile, sed & illis perspicuum, qui ex Arte cogitandi fundamenta affirmationum tenent. Brevitatis causa suppono, ad conclusionem affirmativam requiri præmissam utramque affirmativam; ad propositionem affirmativam pertinere, ut universa comprehensio prædicati includatur in subiecto; & medium terminum in præmissis comparari tam subiecto, quam prædicato Conclusionis. Potest igitur *comparatio esse quadruplex*. Si prædicatus includitur in medio & medius in subiecto: recte concluditur, prædicatum contineri in subiecto. Si prædicatum conclusionis includitur in medio & subiectum in eodem: aliquando concluditur, aliquando non concluditur. Si medium in subiecto, idemque medius in prædicato: nihil inferri potest. Si subiectum in medio, & medius in prædicato: eruitur conversa conclusionis. Vides, nisi fallor, primo & quarto casu convenientiam termini majoris & minoris cum medio vel in medio diversam esse: & primum tamen concludere, ut debet. In secundo & tertio convenientiam utriusque cum vel in medio *eandem* esse: sed in altero nihil concludi; in altero non simpliciter aut directe.

*virtualiter!* Quid hoc est dicere? Habet virtutem producendi, dandi; conferendi *Repere*, si placet, *Canonem*. Quod quis neque ipse in se habet, neque in gradu excelsiori possidet, neque producere, dare aut conferre potest, id alteri non potest dare. Consentio sane: sed quid opus erat tot ambagibus, pro vendenda sub aliis & ambiguis & nimium generalibus terminis identica propositione? quæ in mentem unicuique veniat, quam primum illius usus esse aliquid possit.

§. 15. Secundum ideo *requisitum* addidi §. 10. quod sine illo Axiomatis tanquam demonstrandi principiis uti non licet. Neque enim a singulari aut particulari argumenta concedimus in scientiis. Ceterum *non puto nec fieri* illum laborem fuisse, quo JO. LOCKIUS operose adstrinxit, præter recepta Axiomata omnino generalissima propositiones quoque per se claras dari minus generales, quod neminem negare arbitror. Fateor sane, per se clarum esse effatum, si dicas: Homo est homo, album est album, homo non est equus, rubrum non est cœruleum. Per se clara, five cum Lockio dicas, „si a manu unius digitis quinque duo digiti, & a manus alterius quinque digitis duo amputentur, qui remanebunt, numero æquales erunt,“ five cum Euclide generaliter assertas, „si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, sunt æqualia,“: Etsi posteriorem enunciationem vel ideo altera simpliciorem & priorem esse existimem, quod Lockiana cogitari sine Euclidea non possit, neque ejus veritas intelligi, quin tacite Euclideanam subintelligas; & plures illi definitiones necessaria sunt, quam huic secundæ. Cetera non putem, eo *Lockium* procedere, ut principia quoque scientiarum interpretetur enunciationes allegatas.

§. 16. Obiter etiam illud moneo, *diversam appellationem* esse, quando Barth. VIOTTVS L. III. de Demonstr. c. VIII. p. m. 127. Dignitatum alias *universales* dicit, alias *particulares*. „Universalem, inquit, eam appello, quæ multis scientiis potest accommodari, ut: de quocunque licet affirmare, de eodem licet & negare: Omne totum est maius sua parte, quod in Geometria, in Arithmetica, in Perspectiva potest accommoda-

\* \* \* \*

modari. Particularem voco uni tantum accommodam, ut : contraria contraria esse remedia, solius est medicinae : Unicuique, quod suum est, esse tribuendum ad solam Juris & æqui prudentiam spectat. Et talia citra doctorem solo intellectus lumine vera esse cognoscuntur., Nihil de exemplis statuo : vides autem, dici particulares respectu scientia, non ratione quantitatis propositionum, neque adeo adver- fari nobis. Cetera autem ex Aristotele desumpta esse, quisignorat? Communia ille vocat & propria, vocabulis aliquanto con- venientioribus. Sed conf. inferius §. 55. & 56.

§. 17. Redeamus ad institutum, atque tertium præcipue requisitum meditemur. Ignoscite, qui magno numero Canones edidistis Philosophicos, Stablii, Zapffii & similes! Dicam etiam pro vestra excusatione, \* quæ dici possunt: Canones vereor, ut salvare possim! Hic Lydius lapis est, hæc authen- tica Canonis nota, si ex definitionibus terminorum conster, oppositum propositionem esse contradictoriam: *Quæ aequalia sunt eidem tertio, sunt inter se aequalia*: Hoc axioma est Euclidis: quid ita? Substitute definitionem aequalium, & apparebit nostræ ne- cessitas & oppositæ propositionis impossibilitas: aequalia sunt,

B 2

quæ

\* Ita consuetudinis efficaciam quis nescit? Il a fallu des Loix tres severes en Irlande, pour obliger les païsans à n'atteler plus leurs chevaux par la queue. Vide eleganter Crosam Log. T. I. p. 153. 171. 193. - 207. III. 1060. Recette de la Motte & Crouzaz T. I. p. 129. sq: Le parti de l'Erreur se grossit tous les jours, de ceux même, qui l'ont reconnue; Tout des abusés qu'ils sont, ils tiennent le même langage, que ceux, qui sont encore trompés; & ils deviennent eux mêmes une nouvelle autorité pour en abuser d'autres., Praiverat vi- am, eti cautius aliquanto: Aristoteles; Commendaverat autem Cicero: Quanti Viri? Præterea micabat blandiens rei utilitas: fon- tes sc. argumentorum tenere; de rebus omniibus posse fabulari; posse obvia sonantibus & a vulgo distinctis vocibus ediscerere; aper- te falsa velare terminis, non nisi ex composito Magistrorum illos! exponentium intelligibilibus: Nonne est eximium? Eximia vero hæc excusatio est, inquis, qualem in mea causa non desiderem. Atqui non distinguunt excusationem, & approbationem. Deinde diu est, quod exequiasiverunt Dialecticis Logici Canonibus: Neminem igitur jocus offenderit!

quæ mutuo substitui possunt salva quantitate. Sint A & B utrumque seorsim æqualia tertio C, sive, sit A æquale C, & B æquale C: Igitur B potest substitui in locum C igitur A æquale B. Si negares Axioma: contradic̄tio foret in eo, quod in locum C substitui B ob æqualitatem possit, adeoque A æquale B ex substitutione, & A majus vel minus B ex propositione. Competit igitur enunciationi criterium, quod dixi.

§. 18. Scio esse inter Euclidea quoque & Archimedea, \* in quibus berant Eruditi, num ex terminis adeo sint evidentia, ut characterem hunc sustineant: sed bene est, quod illa Proclus demonstraverit & alii. Neque ferrem ego, ut peccatis magnorum quoque Virorum regulam infringeres, aut eorumdem exemplo axiomata publico obtruderet minus evidentia, aut obtrusa dudum defendere in animum induceres. Sunt Magistri sane Melbodi, sed non infallibilis: Sunt exempla quidem illustria, perfecta fortasse non sunt. Atqui alia est præterea excusandi ratio, quam inferius allegabo. Interim hoc teneo, sine demonstratione, ubi rigorem profiteris, nihil sumi posse, nisi ex terminis clarum. Ego rationem mei assensus postulo, si tu assensum poscas: Igitur aut in ipsa propositione continebitur, aut aliunde arcessetur; Si primum contingat, Axioma veneror, altero casu theorema dicam.

§. 19. Quemadmodum vero impossibile est, quicquid contradictionem involvit; contradictionem autem axiomatis oppositum involvit: ita manifestum est, fieri exceptiones non posse in Axiomatis, neque tolerabiles illis limitationes esse. Tam late enim veritas extenditur, quam late sensus terminorum

\* Ita Euclides sumfit: si in duas rectas incidens recta angulos ad eandem partem interiores duobus rectis minores faciat, rectas illas, si protrahantur ex ea parte concurrere, qua anguli sunt duabus rectis minores; Duas rectas non habere seginem unum commune, sed in puncto se interfecare. Sumfit Archimedes: si duæ lineæ in eodem plato easdem extremitates habeant, atque curvæ vel cavae sint versus eandem partem, contentam esse minorem continent: & quæ sunt similia, sed pauca apud veteres, methodi tenaciores: Vnde & illa demonstrarunt Apollonius, Geminus, Proclus, & Commentatores, Clavius, ceteri.

norum, e quo securit, exporrigitur: id nisi fuerit, quomodo ex terminis vera propositio est? Apage igitur *propositiones ex parte veras*, & generaliter enunciatas. Examinemus aliquas, & quanta illarum pars vera sit, computemus! *Qualis causa*, inquis, talis effectus. Dicis causam, & intelligis efficientem solum, non materialem, formalem, finalem; manet igitur *quarta* solum causae species; atque illa ipsa non tota manet, sed univoca solum, non æquivoca; est igitur pars *octava* dicti: *talis est effectus in essentialibus*, non accidentalibus. Sumamus illa æqualiter, eti accidentalia plura sint essentialibus; Manet igitur *decima sexta* pars propositonis. *Proprius quo*, tanquam causam per se (non per accidens: cadit igitur dimidia dicti pars; manet dimidia) proximam (non remotam: cadit dimidiæ dimidium; manet *quarta*) & univocam (non æquivocam: cadit quartæ dimidium; manet *octava*) itemque adæquatam (non inadæquatam: cadit octavæ dimidium; manet *decima sexta*) & cum reflexione effectus super causam (non fine: cadit dimidium sextæ decimæ; manet trigesima secunda) *unumquodque tales est*, illud magis est tale, si non ratione intensonis, tamen immediationis, aut alio modo (sunt tria minimum, igitur extrigesima secunda manet nonagesima sexta;) Collectis ita limitationibus *Rudrauffi*, \* ad nonagesimam sextam sui partem propositio reddit, & axioma audit, cuius oppositum involvat contradictionem.

§. 20. Difficile hoc & durum Axiomatibus *examen* est: sed incompetens forum quereris. Vis exigi illa ad *fines*, quibus originarie destinata sunt; tum fortasse mollior decisio erit.

B 3

fin-

\* Non enim examino, an omnes necessariae sint, an altera alteram supponat? sed neque id necessarium est, quando rigorem hic non proficeret. Si plura velis *finitas*, examina illud alterum: *Posita causa* (particulari, proxima, adæquata per se, in actu secundo, perfectio, non impedita) ponitur *effectus* (in fieri vel esse.) Si enim necessariae sunt omnes illæ limitationes: sola manet enunciationis pars *dacentesima quinquagesima sexta*. Nimirum *Tot diverse propositiones fieri possunt ope illarum distinctionum, quarum unica est similis illi, quam vides, & pro axiomate veneraris.*

fin id nondum plene sufficiat, exemplis caussam tueri vis; ut vel omnem effugiant censuram, vel mitigent. Si *Dialecticos* audis, non destinatur illa generandæ per demonstrationem scientiæ; Admitto sane, neque enim eo valent, aut aptata sunt. Quid ergo? *opinionem* ingenerare debent, atque animum instruere ad differendum in utramque partem *probabiliter*. \* Multum promittis, saltim ne hiantem deludas! Invenire argumenta pro omni questione probabilia, utile est, quia non semper certa suppetunt; in negotiis maxime humanis, sed etiam in disciplinis. Non repeto hic, quæ alibi de *Logica probabilium*, Leibnitii, Wolfiique exempla secutus, differui.

§. 21. Sed num ille *probabilita* disputat, qui præmisso cum honoris præfatione Philosophico Canone, *Qualis causa, talis & effectus* est: ita pergit arguere: Clodii Pupieni Imp. caussa (*Pater*) fuit faber ferrarius, Philippi Arabis Latro, Maximiani Herculei, Galerii Maximi & Licinii Liciniani rusticus, Valentiniani & Valentini Augs. restiarius, Justini bulbus &c. Ergo & ipsi tales? Num *probabile* est, solem esse ranam, hominem Deum, Syllogismum intellectum &c. Atqui caussam audis & effectum! Num *ignorantia* est *Philosophie* venerabilis *avia*, quoniam *admiratio* dicitur *filia ignorantiae*, & *mater philosophiae*? Est caussa tamen caussæ, nonne igitur & caussati?

§. 22. Scio, quid dici oporteat; exstant, ut §. 19. ita paſſim, limitaciones, quibus absurdâ possis amoliri. Verum hoc volo; aut *limitatus* Canon destinatur disputationi tuæ probabili, aut *generaliter* enunciatus: *Ilo* casu identicus est, adeoque scientiam generat, sicubi applicari legitime potest, non *opinionem*; *secundo* vidisti, quam probabilis inde conclusio emer-

\* Non possum hic tacere verba *Aristotelis* L. I. Topic. c. XIV. n. 7. Ad *Philosophiam* quod attinet, secundum veritatem de rebus tractandum est: *Dialectice* vero ad *opinionem*. Vide, si placet, integrum Caput, & mirare fontes probabilium, vel *quasi*; Jubet enim sumere propositiones non solum probabiles, sed & illas, quæ similitudinem aliquam *probabilitatis* habeant. I. c. n. 2. Alia de *Probabilibus* theoria est *Jac. Bernoulli* L. IV. Artis conjectandi C. I. II. III. Hunc sequere, &c., si potes, vel vacat, absolve incoata!

emergat. *Quis* suam *serio* caussam sic agat? Si tamen ita veterum *Sophis* placeat & Rhetoribus; habeant sibi res suas, ornent istis floribus caussam, si forte ipsis obtingat, bonam; & cerussa isthac infuscent malam. Nobis hoc concedant, ut *Axiomatis philosophicis*, scientiam in serio nenorio promittentibus, *imperemus* istam *legem*, ut nisi per se clara sint, admoveri ad res gerendas non possint: Eoque aut absistant privilegiis nostris Dialectici Canones, neque sibi authenticē & sine demonstrationibus assensum præstari postulent; aur agnoscant forum atque Leges Civitatis. Postem gravius differere, si praesentis instituti esset: Ieterim, si placet, examina *inventivas* VIOTTI, non sine bile scriptas, in Praef. Libri cit.

§. 23. *Urum* restat pro confusione veterum, in quo tamen haud scio, an præsidium quæsaturi sint? Mihi alia succurrit ratio, quare illius rei meminerim; cavendum enim existimo, ne præcepta nostra ultra intentionem Lectores extendant. Est inter *Jctorum Commentarios* frequentissimum, ut *Axiomatis* suis *limitationum* atque *ampliationum* farragines adiungant. Ne & illa indiscriminatum abjicias, cave: puto, *si universalis Textus*, aut approbati in *foro* Interpretes *propositionem* fecerint, cui vel alia specialis constitutio adverseatur, vel alia universalis in dato casu repugnet, utilissime moneri, utra alteri prævaleat? Ita vero limitatione illam restringere oportet, quæ locum alteri concedit; ampliatione illam extendere, quæ obtinet. Scilicet universalē illam proscribere ex Legum circulo Interpreti non licet: licet tamen *limits* ab Auctore ipso statutos vel intentos, vel ex negotii natura necessarios, ex utriusque dispositionis & rei collisione crutos, illi circumponere. Sed *Philosophorum* aliud institutum est, nulla hic universalē de rebus enunciations, nisi ab Interpretibus Naturæ & rationis, non authenticis, factæ; si nimium generales sunt, eorundem culpa est, quos cautiiores esse oportuerat: Neque enim in ipso *Veritarum regno* *exceptiones* sunt; sunt in Regno *opinionum*, quando, necessariis determinationibus omisis, universalia præcipiti decisione arbitramur, quæ frequentia sunt, & absolute vera opinamus, quæ restricte talia deberemus.

§. 24.

§. 24. Ex dictis, nisi fallor, conficitur, *axiomatum veri nominis demonstrationes necessarias non esse*, coque illis ob nativam propositionis evidentiam deberi assensum. Num demonstrari omnino non possint? Num sine incommmodo demonstrari non possint? Num in summo methodi rigore demonstrari illa non conveniat? Et quæ penitus *indemonstrabilia* sint? diversimode decidi videoas? Hoc facile agnosces: *falli* miseris, qui *premissas* Syllogismorum, quibus probandis pares non sunt, Axiomatum velo tectas pro evidentibus venditare nuntiunt, & probationum impunitibus; si distincte sua concipiunt, ex definitione terminorum arguant, & meminerint, quo evidenter principium est, eo facilius id ex terminis probari. Neque vero explicatis hucusque axiomatis repugnat, ut alia ab aliis dependeant, aut cum aliis cohærent: Utroque autem casu argumentum connexioni suppeditat.

§. 25. Scilicet ut *sensim sensimque intendamus rigorem*: Consultum puto, ut ex §. 9. theorematu faxis omnes eas enunciations, quæ collatis demum pluribus definitionibus manifesta fiunt: *Axiomata illa sola voces*, qua ex una definitione consequuntur immediate. Immo *mallem*, ut *solas identicas propositiones Axiomata cum Christiano WOLFIO agnosceres*, quem in Comment. cit. §. 33. ita differentem audio: „Notandum, eo minorem fieri axiomatum numerum, quo sufficientius notiones evolvuntur. Immo si verum faterias est, vera axioma non sunt nisi propositiones identicae. Scilicet Axiomata seu Principia *hac loco* cum *Analyse* dicimus veritates primitivas atque indemonstrabiles, quæ nunquam fieri conclusiones possunt, per se ipsas tamen assensum omnibus extorquent. Neque metuo ut assertum rideas, atque identicas cum Jo. LOCKIO propositiones *nugatorias* appelles: De quibus recte Leibnitium statuisse omnes Analyse di cent; cum citato superius loco p. 152. ira pergit: Je nemeprise pas les propositions Identiques, & j' ai trouvé, qu' elles ont un grand usage même dans l' Analyse. Quis enim est, qui neget universam pene Analysin nostram, & equationes saltim omnes, nisi axiome, idem est idem, vel

(ter-

(terminis ad quantitatem applicatis, idem est æquale sibi ipsi,  
idem sibi ipsi potest substitui, & similibus.

§. 26. Neque dictis adversatur, cum Leibnicius l. c. p. 144. asserit: Mon opinion est donc, qu'on ne doit rien prendre pour principe primitif, si non les Experiences, & l' Axiome de l' Identité, ou ce qui est la même chose, de la contradiction, qui est primitif; puisqu'autrement il n'y auroit point de difference entre la vérité & la fausseté: & toutes les recherches cesseroint d'abord, s'il étoit indifferent, de direjoui, ou non. On ne sauroit donc s' empêcher de supposer ce principe, des qu' on veut raisonner. „Quod enim ad experientias attinet, de illis mentem in notis exponam, ut sententia praesenti concordet. \* Propositiones autem identicas & principium identitatis ex mente Leibnitii hic non distinguo a principio contradictionis, et si cetera accuratior in minutis distinctionem fortasse faciat, & per identitatem ponit rem, per contradictionem excludi ejus contrarium existimet.

§. 27. Ita v. penitus approbo industriam Christiani WOLFFII, qui axiomata Euclidis habita in Elementis Mathefcois Latinis sollicite & rigorose demonstravit. Ut enim non dicam, quæ ipse utiliter admonuit, in ejusmodi exemplis haberi Specimina Analytice perfette, cuius hoc indicium est, quando Syllogismus, quo demonstrationem absolvit, alteram præmissam definitionem habet, alteram vero propositionem identicam: Alium il-

C lius

\* Non est illa quidem scientia perfecte dicta, quæ experientias nititur; quoniam sine demonstrationibus afflantur, quæ causas tamen agnoscunt: Verum id in hominum potestate non est, persequi ilias, & ad finem pertingere, quem contingentium analysis in se nullum habet. Cogimur igitur in factis substitere, quoties applicatas ad naturam disciplinas, physicam, metaphysicam, ethicam &c. expomimus: Neque metuimus tamen ea causa certitudini theorematum, aut efficacie demonstrationum in auditoribus; quæ enim experientia cognoscuntur, omnes, etiam Sceptici, concedunt. Neque Zenonem Diogenes intellexit, quando ipsum, contra motus existentiam argutantem, obambulando refutare conquisit est. Agnita igitur ab omnibus phænomenorum experientia cognitorum, certitudine & concessa: assumi sine demonstratione, eoque ad honores Axiomatuum admitti possunt, & ex probationum defectu debent.

Ius instituti usum allegabo, quo ridiculos quorundam scriptorum *errores expungam*. Videas saepe & mireris, si cui in mentem veniat, demonstrationes de philosophicis rebus mathematicas condere, follicite illum convasare propositiones saepe inutiles instituto, saepe ambiguas, saepe obscuras, dubias etiam, & quæ vitia esse ponunt axiomatum, atque illas magno numero præmittere demonstrationibus, quas putat, suis quasi methodum ea re Geometricam exprimeret, cuius tamen illa longe potior virtus est, si nihil sine demonstratione enunciet, si nulla vel paucissima suis theoremati Axiomata præmittat. Ita nubem illi pro Junone amplexantur, & quæsitis excidunt Verum non debuerant illi methodum imitari, cuius interiora ignoraverant. Exemplis abstineo, ne odiosa sint legentibus.

§ 28. Sed vellicat aurem nobis *Auctor Artis Cogitandi*, qui in tractatione de metodo Geometrarum (*Leibnitio* indice, ex *Pascaliana* de Ingenio Geometrico commentatione, in quartam illata partem) c. 9. p. m. 346. alterum *Geometris* hunc defetum imputat, quod ea probent, que probatione non indigant. „Fateor, inquit, probare id, quod probatione non indiger, vitium videri quam minimum, immo in se nullum esse: Est tamen, si ea consideremus, quæ inde sequuntur. Hinc enim illa ordinis naturalis inversio oritur, de qua infra agemus, cum hæc prurigo ea probandi, qua pro claris ex se & evidentibus supponi debent, ipsos Geometras adegerit ad illa tractanda (ut sc. iis probandis interfervire possent, quæ probari non debebant), que postea tantum secundum naturalem rerum ordinem essent resumenda.“ Possent, si digressionibus indulgere amplius liceret, multa in rem præsentem afferri, etiam illis negligēta, qui ex professo Geometras ab objectis vitiis purgare adgressi sunt. Mihi sufficit, in se vitium non esse: Si aliquo casu ordinem, utilem rebus aut necessarium, interturbet, eo malim demonstrationes omitti illarum, quæ per se claræ sunt, enunciationum. Tu vide, si placet, *Wolfium* in Log. c. 10. §. 22. in Metaph. c. 2. §. 137 in disc. mor. §. 290. 291. & in Comment. de Meth. Math. §. 55. . . . 57.

§. 29. Illud curiositatib[us] lectoris tribuo, ut exemplum ARNOLDI

DO allegatum, & *judicium LEIBNITII contendam.* Ita *Ars cog.* p. 347. de notato ante defectu. „Hoc illud est, quod Euclidem impulit ad probandum, duo trianguli latera simul sumta esse tertio majora, quamvis hoc ex ipsa linea recta notione evidens sit, quae est earum brevissima, quæ inter duo puncta duci possint, & quæ est naturalis mensura intervalli, quo punctum a puncto distat: quod tamen non foret, si omnium linearum brevissima non esset, quæ a puncto ad punctum ducuntur. „Sed vero Leibnitius loc. cit. p. 145., j'estime extremement la Méthode d'Euclide, qui sans s'arrêter à ce qu'on croiroit être assés prouvé par les pretendues idées, a démontré par exemple, que dans un triangle un côté est toujours moindre, que les deux autres ensemble. Cependant Euclide a eu raison, de prendre quelques axiomes pour accordés, non pas comme s' ils étoient véritablement primitifs & indemonstrables, mais parce qu'il se seroit arrêté, s'il n' avoit voulu venir aux conclusions, qu' après une discussion exacte des principes. „

§. 30. Ita vero *alter* non potest in Euclide institutum demonstrationis improbare sine addita de suo demonstratione veritatis ejusdem: *alter* non potest urgere omnium demonstrationes sine addita rigoris moderatione. Atque hæc, nisi fallor, legitima illud negotium judicandi norma est. Aut in *rigore summo* confistimus; atque eo casu axiomata pete ex §. 25: aut remittimus aliquantum, sine detramento tamen veritatis; atque eo casu attende ad §. 10. Aut *absolute* exquisite demonstratas propositiones nostras asserimus, aut *quasi provisionales*, Leibnitiano vocabulo, admittimus. Aut in indagandis demonstrandisque *rum principiis* feliciores sumus, aut in deducendis inde *conclusionibus*. Aut in *primis* rerum *initiis* atque *disciplinis* versamur, aut in *altioribus* & subordinatis. *Posteriori* casu laxius judico & plus indulgeo, *priori* strictius, & nihil indulgeo.

§. 31. Itaque pro re nata approbo consilium Leibnitii ad Foucheriem scribentis: Je suis de Vôtre Avis, Monsieur, sur ce que vous pensés, qu'il seroit bon de chercher des preuves de toutes les verités importantes, qui se peuvent prouver. Mais cela ne doit pas empêcher d'avancer des problèmes particuliers, en attendant, que l'on ait rencontré les premiers principes. C'est ainsi qu'en

usent les Geometres. Vid. Journ. des Savans 1692. 2. Juin p. 365. Atque in Collectione superius allegata Tom. II. p. 146. de eadem methodo inquit: Cette maniere doit être imitée des Philosophes, pour venir enfin à quelques établissements, quand ils ne seroient que *provisionels* de la maniere, que je viens de dire. Approbo etiam *suo sensu respons.* FOLICHERII, quando is in Journ. des Sav. 1693. 16. Mars p. 185 de Axiomatis ita differt: Pour ce, qui est d'en établit quelques uns par avance, avant que de travailler à la Philosophie des Academiciens; C'est une chose, dont vous trouverez bon, que je me dispense, si vous considerés, que ce n'etoit point là leur Methode. Ils traitoient les questions par ordre, & suivoient toujours le fil des vérités, par lequel ils se conduisoient pour sortir du labirinte de l'ignorance humaine.,,

§. 32. In illo difficilior sum, num & *exemplum* approbare *Leibnizianum* licet, quando is universam pene Metaphysicam suam superstruxit magno, uti vocat, principio, quod nihil sit sine ratione sufficienti, cur potius sit, quam non sit; neque tamen illius, eti ab adversario sive negati, sive limitati, sive aliter intellecti, demonstrationem dedit, aut universalitatem vindicavit, rogatus quidem & repetita flagitatione. Non disputo hac vice *de veritate propositionis*, neque an Axioma haberi possit, an demonstrari ut theorema, an omnino limitari debeat, inquirto. Quæ *Leibnitius* §. 19. de *Eclide*, illa dicam de instituto *Wolfi*, qui posthabita ea consideratione, quæ ex obtentu nativæ idearum evidenter nascitur, istum Canonem demonstrare aggressus est ex alio priori, immediato definitionis suæ Corollario. vid. Inst. Metaph. secundum editas hoc Anno. §. 30.

§. 33. Eadem *distributione* approbo sententiam *Croze*, & instituta quoque *veterum*, de primo omnium principio disceptantium. *Largior* Viro Doctissimo, quod omnia possint æqualiter prima constituiri, a se mutuo independentia, per suam ipsarum evidentiā certa, quæ non indigeant alia propositione, qua intelligatur attributum axiomatis contineri in subjecto, vide Log. P. II. c. V. §. 5. Tom. III p. 1043. Sunto autem & illud mihi, posse omnia demonstrari præter identica, & Aristotelicorum illud: Impossibile &c. Sed præstare tamen arbitror, si ex ipsis terminorum

normum suorum definitionibus unumquodque, quam si ex alienis sibi principiis, demonstretur: Atque hanc quidem cautelam *indulgeo* monitis ejusdem Viri Celeberrimi, quibus indicat, posteriori casu averti attentionem ab evidentiā propositionum domestica, ut aliunde majorem querat; eoque forsitan insuescere animum dubitationes de evidentibus, cette habitude tend l'humour chicaneuse & dispose au Pyrrhonisme. vide l. c. §. VII. p. 1046. 1047.

§. 34. Et evidentur sane ipsa Viri Eloquentissimi praecepta nobiscum convenire, cum codem loco methodum exponit, quo disputandum sit *adversus organum principia?*\* Si animi stupor aut inadvertentia & in adversario: jubet explicari terminos, atque definitiones iisdem substitui; compositos terminorum sensus resolvi in simplices, attendi dein ad singulos, iterum combinari invicem, idque institutum repeti, dum familiares animo ideae fuerint, & facile praesentes attendent. Si *pertinaciam* explicatio non pervincat; suadet assumi Axiomatis oppositum pro vero, atque inde conclusiones fieri alias ex aliis, dum ad ejusmodi aliquam perveneris, cuius manifesta sit & intolerabilis adversario absurditas: & nisi desperata sit obnitentis contumacia, successum purat felicem fore. Scilicet hoc ipsum est, quod *Ariboleti* de suo principio contendunt, hoc ultimum esse, ad quod allidi falsitatem oporteat, omnibus serio agentibus certum, & in omnium hominum discursu praesuppositum Axioma.

§. 35. Ita vero ex significatu strictiori revertimur ad laxiorem alterum §. 10. expositum: & qua pauca restant, expendimus.

## C 3

mus.

\* *Adversus negantem principia?* Ita est. *Negat metuō dicitur ex Aristotele*, sed perperam intellectō, transsumptum, quod obiter hic monere evnent. *Evolve*, si placet. *Anal. Post.* I. I. c. IX. n. 86. 87. De principiis, inquit Philosophus, disceptatio subcunda non est Geometra: *qua est Geometra*, similiterque se res habet in aliis scientiis. *Qua* perspicue ex more suo *Vitruv. MULLERVS nostras*, in Organo explicato p. 763. ita *magister*, „De ipsis principiis non cogitur reddere rationem professor scientiae aliquius, *quatenus* illius est professor, quando dubitas de illis imperitus aliquis. Nam quod Geometra interdum de suis principiis differit, id non facit, *qua* Geometra: sed, *qua* gnarus communis aliquius scientie, nempe *Dialectice* aut *Metaphysice*, quibus instruens neganti principia satisfacere potest. Principia autem hic intelligo, non solum vera axiomatica, que sunt in quavis disciplina prima elementa & fundamenta, *quaque* sunt *metoī*, *πρωτα και αρχαιοδείκτες* sed perfectum etiam & particulae medium demonstrationis dicimus, quod in illa scientia demonstrari nec potest nec debet, „*Ad* & *ea* *qua* *Wolthus* monerit in fine Prof. ad secundam Metaph. edit.

mus. *Quomodo fiant Axiomata?* controversum est. *Falluntur vero,*  
*si qui dicunt,, Axioma hoc, quo non clarius evidentiusve opta-*  
*,,ri soleat, totum est majus sua parte, ideo tantum assensum no-*  
*,,strum mereri, quia a prima infantia particulatum observaveri-*  
*,,mus, omnem hominem suo capite, domum triclinio, silvam*  
*,,arbore, ccelum sidere esse majora.* „*Non enim ex inductione, nisi*  
*completa, certitudo universalis nascitur; completam autem hoc*  
*casu nullus hominum enumeret. Potius ex definitione terminorum*  
*generaliter veritatem quoque generalem concludimus vide Wolfi-*  
*um in Elem. Arith. Lat. §. 76. Neque adeo intelligo, quo sensu*  
*Loikius de Intell. Hum. L. IV.C.VII. §. 4. p. 776. de Axiomatibus*  
*dicat, ea vim suam trahere a particularibus, aut quomodo id*  
*conciliari possit §. 16.c. VI. p. 773. ubi rectissime contendit*  
*,,propositiones universales cuiuscunq; generis tunc tantum habe-*  
*re manifestam veritatem, cum termini ideas denotent, quarum*  
*convenientia aut repugnantia, prout ibi exprimatur, a nobis*  
*deprehendi possit... Certitudinem genericam nunquam reperiri,*  
*nisi in ideis nostris. Quandocunque illam alibi queramus in ex-*  
*perimentis, aut rerum, quæ extra sint, notatione: cognitionem*  
*nostram ad particularia tantum pertinere. Genericam ex nostra-*  
*rum tantum idealium abstractarum contemplatione oriri.*”

§. 36. Nolim hic evagari & pererrare *Commentarios Aristotelici-*  
*orum: ARISTOTELEM non invitus audio. Num ejus verba*  
*patientur sensum, quem approbo, Lectoris esto judicium. Di-*  
*stinguit ille τα γνώσεως, quibus omnibus congenitam facultatem φη-*  
*μονήν sensationem, tribuit, in duas classes: In alteris fieri πάντα τα*  
*αὐθικά, in alteris non fieri. In quibus non maneat, quod sensu*  
*attigerant, aut quatenus id non maneat, in iis non esse γνῶσην, ex-*  
*tra actum sensationis. In alteris vero remanere unum quid in anima:*  
*eorumque denuo esse differentiam; in aliis fieri λόγον (rationem,*  
*proportionem an comparationem?) ex illorum memoria, in aliis*  
*non item. Itaque ex sensibus memoriam, ex memoria repetita fieri*  
*εμπειρίαν, plures enim numero memorias esse unam εμπειρίαν,*  
*experienciam, an ex collatione sensationum & eorum, quæ men-*  
*ti inhæserant, ortam inter illa convenientiae & proportionis ani-*  
*madversionem? Ex experientia, sive ex universalis quiescenti in ani-*  
*ma, tanquam uno præter multa, quod in omnibus illis unum*  
*idem-*

idemque sit, fieri principium artis & scientiae; artis quidem, si pertineat ad generationem, scientie, si ad ens ipsum. v. Post. Anal. L. II. c. XIX. §. 5. Edit. Pac.

§. 37. Agnosco ego in his verbis 1. occasionem ex sensibus, quam si non omnis, plurimae tamen cognitionis humanae, etiam abstractae, initium philosophi communiter admittunt: 2. modum abstrahendi ideas generales a singularibus sensu perceptis, dum illae, licet praeteritae, aliquid sui in animo relinquunt, ut, cum similes illi obveniant, ipsae quoque denuo redeant, & cum illis comparatae unum aliquod universale sua convenientia menti praesentent, in omnibus idem: 3. Praeceptum ex universali illa idea formandi principia five artis five scientiae; quae enim ex distincta illa & a singularibus abstracta universalis idea, tanquam definitio ne nominali supposita, legitime eruuntur, Axiomata sunt, & e terminis evidenter 4. Nisi que postulo tamen, ut hunc semper ordinem tenes: si alia via perveneris ad definitionem, potes ex eadem derivare axiomata; Quibus autem viis eo devenire liceat, ex Christiano Wolsio disces in Comment. de Meth. Math. quae Elem. Math. Lat. praefixa est. §. 19. . . . 28. itemque in Logica c. i. §. 19. 26. 30. 50 - 57. col. c. VI. §. 1.

§. 38. Videtur facilis ad axiomatum multitudinem via: Non est tamen adeo expedita, si extra Mathesin bona & consequentiis secunda praestantioribus effata postules. Et miror non raro, Illuminem Tschirnhusum suam ex definitionibus, rei Genesin exhibentibus, arguendi methodum illustrare exemplis Geometriis, in quibus facilem illam operam negotii natura facit: ad Metaphysicam, Moralia & similia non assurgere. Nescio etiam, an inter Philosophos Maximum ingenio & fama Leibnitium in eo genere alius quicunque superaverit: cuius plura non sine fructu axiomatica, prius neglecta passim deprehendimus; eaque vel primum ipsi eruta, qualem Ipse suam Continuitatis Legem allegat, & principium identitatis indiscernibilium agnoscimus; vel novis adhibita usibus, quale est de saltibus in Natura prohibitis; de aequipollentia inter effectum plenum & vires caussae integræ; vel universalius extensa quale illud de ratione sufficienti, olim Archimedii in aequiponderantibus adhibitum, sed Leibnitio generaliter enunciatum, censeri videoas.

§. 39.

§. 39. Optarem vero, ut *Catalogum extendere* Eruditi allaborarent: non quomodo Veteres Dialectici in locis suis localibus (Topicis) congerendo minus certa atque obtrudendo pro authenticis; sed erundo ex distinctis rerum ideis veritates quoque generales, facile aut difficulter obvias, applicabiles tamen ad scientiarum profectus. *Nequis enim penitus affingo argumentis eruditissimi Crose, nisi adversus vulgatas Canonum collectiones, & sola earum necessitatem directa intelligi velit, ut arbitror:* Quando is Log. suæ p. II. c. V. §. 3. T. III. p. 1039. Logicorum de convasandis Canonibus *consilium* mage *speciosum* vocat, quam necessarium; principia enim non mutuo *cobare*, nec ab altero alterum dependere, eoque oneri fore memorie propositionum parum colligatarum numerum: *Deinde copiam illarum magnam esse, & quantacunque sit collectio*, plures tamen alias negleguntur iri: Institutum *etiam ipsum*, quo familiares animo reddendae essent, *adversari præceptis aliis magis essentialibus*, cuiusmodi sit, ut omnia ordine & exacto invicem nexus fiant: *Tum vero quæsiones aliquantum compostas* mage conclusionibus antecedaneis decidi, quam primis principiis, quæ nonnisi ad simplices applicari immediate possint, eoque minus amplius usus sint, ac esse videantur: *Denique si legitimam sequare & consuecas meditandi objecta methodum, ipsum eorum examen, dum operi intentus sis, illa suppeditare principia, sive ante cognita fuerint, sive ignorata.*

§. 40. *Fatoe sane, posse principia mutuo independentia spe-ctari, sed & plurima mutuo connexa; neque illud memorie ad-miniculum contemni velim, si collecti canones subordinari mu-tuo aut colligari possint. Sic v. g. Leibnitius suam Continuitatis legem, qua *Cartesianas & Malebran bianas* motuum leges correxit, alteri principio generaliori ipse subjecit in Nouvelles de la Republique des Lettres 1687. Juillet art. VIII. p. 846. Ita proportionem realitatis in effectu atque causa Ipse Vir doctissimus Canoni alteri subordinat, quo nihil fieri vult sine causa, aut quo præcipit, ut id omne, quod se aliter habere potest, determinetur per aliquam causam ad esse potius, quam non esse, ad esse hoc modo potius quam alio. v. Log. P. L. S. II. c. VI. §. 31. Tom.*

II. p. 782. 783. Sit etiam *labor* aliquis : quis eum non subeat, si utilis sit? *Minuit* vero memoriae laborem evidenter propositio-  
nis, quæ etiam efficit, ut citius animosam iliaris fiat, adeoque  
redeat facilius, cum applicari potest. *Ordinem* inverti nolim:  
Quod si autem eo deinceps loco *commentationibus* interseran-  
tur effata, quo illorum usus est, coque in *axiomatis* id *præceptum*  
*observeatur*, quod alibi *definitionibus*, si recte memini, impoluic  
Vir *præstantissimus*; minor ordinis interturbatio erit.

§. 41. *Neque existimo*, *solas simplices* conclusiones pendere ab  
*Axiomatis*: de legibus motus modo dixi; *vacuum*, *atomos*, *me-*  
*tempyschosin* ex negatis in natura saltibus exclusit *Leibnitus*, idem  
que de suo rationis sufficientis principio, ad *Remondum* scribens, de  
*Clarikio* inquit: 'S' il me l' accorde, adieu le Vuide, les Atomes &  
toute la Philosophie de M. *Newton*. v. *Recueil* T. II. p. 360. T.  
I. p. 147. §. 126 - 128. Quin ipsum denuo *Virum magnum*  
appello, qui torties inculcat, entitendum esse eo, ut sine longo  
consequentiarum Syrmate ex ipsis immediate principiis demon-  
strantur conclusiones. v. *Log. P. IV. c. II. §. 5. 6* T. III p. 1339.  
Denique *non scio*, an *omnibus* omnia in mentem veniant, & an  
æque facile? et si ordine agentibus: Neque illud fortassis de ni-  
hilo est, quod idem monuit *Leibnitus*: Ceux, qui aiment d' en-  
trer dans le *détail* des sciences, méprisent les recherches abstrai-  
tes & générales: & ceux, qui approfondissent les *principes*, entrent  
rarement dans les *particularités*; Pour moy, j'estime également l'  
un & l'autre. v. *Journ. des Sav.* 1692. p. 366.

§. 42. Atque ista quidem *suppositio* *Axiomatum* in scientiis *usu*:  
quorum enim collectio eorumdem, si ipsa nihil ad scientiam sive  
augendam sive propagandam? *Dubitassem* ego, num de alterutro  
eruditii ambigant, nisi *LOCKIUM* operose alterum negare, &  
restringere alterum, facto ipso compressem. *Multus* ille est, im-  
mo nimius, in elevanda *axiomatum* utilitate; eidemque rei duo-  
decim omnino articulos impendit de *Intell. hum. L. IV. c. VII.*  
§. 8-20. Cogimur in arctum angustia pagellarum, coque non per-  
sequemur integrum *Viri discursum*, *excepimus*, quæ *porissima* vi-  
debuntur, atque ipsis recensita verbis libelli in Latinum trans-  
lati brevibus diluere responzionibus adgrediemur. Ita autem *Vir*  
*doctus* §. 8., Quæ in Scholis obtinet, *Regula* ista, *omnia ratioci-*

nia esse ex præcognitis & preconcessis, cognitionis omnis fundamen-tum in *bis*. Axiomatibus tanquam præcognitis ponere videtur, quo duo hoc intelligi puto; primo haec Axiomata eas esse veritates, quæ menti primo sunt cognitæ; secundo ea pro *fundamentis* sub-sterni reliquæ nostræ cognitioni., Evidem ego alter Regulam intelligo, nam & in iis, quæ a posteriori cognoscimus, & ana-lytice investigamus, ratiocinio sunt ex præcognitis: Neque ibi incipimus ab axiometate. Sed audiamus Virum!

§. 43. „Primo non eaveru t. esse primo menti cognitas, ex-perientia ipsa docet. Quis necit puerulum certo scire, peregrinam non esse matrem, aliphandum non esse virgam, multo ante, quam scit, impossibile esse, idem simul esse & non esse .. Per-spicum est, *ideas* mentem primo ingredientes esse rerum parti-cularium, unde intellectus lenti gradibus ad duas istas univer-sales (quicquid est, est; & impossibile est &c) progrederit., „Non esse generales illas enunciations ipso *fato* primas in homine cog-i-tationes *distantias* largior: sed postulo, ut concedas, supponi *tacite* & *includi* in illis ipsis, quarum primo nobis consciū sumus. Particu-lares ideas sensibus hauatas præcedere, confiteor: *sequi* demum ge-nerales *seorsim* cogitatas; easdem tamen *in ipsis* particularibus pri-mis jam involvi, eoque cum illis & in illis, et si non distincē & formaliter, confuse tamen & materialiter *simil* cognosci asserto.

§. 44. Si neges: dic, unde certitudo pueri, quod peregrina non sit mater? „Cum id quod efficit, ut mens itiusmodi i propositi-nibus assentiat, nihil sit quam *perceptione convenientia* aut repugnan-tia *idearum* suarum, prout in vocibus, quas intelligit, de se invicem affirmantur vel negantur, cumque unaquæque *idea* ea esse, quæ re-vera est, & diversæ duæ *idea* non eadem esse deprehendantur, se-quitur *necessario*, per se notas ejusmodi veritates, ideis constantes, quæ mentem ante alias omnes subeunt, primo cognitas esse., Immo sequitur, cognitas ex perceptione convenientia vel repu-gnantiæ, adeoque *proposito tacite* principio identitatis & con-tradictionis; sed tacite, sic ut *distantia* ad illa mens *reflexa* non an-te attendat, quam argumentum asserti aliquis postulet, eoque confuse cognita *evolvere* necessum sit. Cetera universus ille §. 9. a negotio alienus est: Non eo sensu *primas* dicimus, qui infan-tum

tum experientia, & abstractionum genesi redargui possit; alia vocis potestas est, s. statim 5. expolita. Hunc vide.

§. 45., Secundo ex dictis patet, magnopere prædicta Axiomata hæc non principia esse & fundamenta reliquæ cognitionis. Si etenim multæ sunt veritates non minus per se clarae, & quas illis prius cognoscimus, impossibile est, ut principia essent aliarum omnium veritatum. „ Atqui ex dictis non patet Analysin terminari aut incoari Synthesin in aliis posse, quam in Axiomatis receptis: Eo autem sensu principia dicuntur humanæ scientiæ. Concedo alias quoque veritates per se claras; non independenter tamen ab Axiomatibus memoratis: Neque adeo sine his perfecte cognitas admitto. Neque dico tamen eo sensu principia omnium veritatum, quasi ex illis erui omnia possint, etiam sensibus percepta & revelatione cognita; aut quasi sola condendis sufficiant disciplinis: quæ scio lectorem incongrue hic monita existimare, dum seqq. perlegerit. Verum id affero, scientiam humanam omnem pendere a principiis ejusmodi.

§. 46. Quid igitur? „ An sciri nequit unum & duo æqualia esse tribus, nisi hujus aut hujusmodi Axiomatis adminiculo, *Totum est æquale omnibus suis partibus simul sumptis?* Multi enunciationis istius sine axiomatis *enjuria* ope, non minus, quam alii quivis axiomatis ipsius, veritatem perspectam habent, quoniam *non minus per se* clara est; nemo enim postquam scit, totum omnibus suis partibus æquale esse, certus, quam prius, cognoscit, unum & duo æqualia esse tribus. „ Ita vero loqui necesse est, si obiter animo attendas. Num sciri potest, unum & duo esse æqualia tribus, nisi vel definitionem ternarii applies summæ unius & duorum, & identitatem utriusque & contentam in ea æqualitatem perspicias, vel ad naturam totius & partium attendas? Si te ipsum in ea attentione fallas; *singe, queri ex Te, unde rei veritatem tenas?* ex terminis inquires: sed *quomodo?* an ut ante, ex perceptione convenientiæ? v. §. 44.

§. 47., Atque eos rogo, qui, præter axiomata ipsa, cognitionem omnem a genericis, ingenitis & per se claris principiis pendere volunt, quo principio probandum sit, bis unum esse duo, bis duo esse quatuor, ter duo esse sex? Quoniam ad hæc *nulla probatio requiritur*, hinc discimus, aut cognitionem omnem non cer-

tis quibusdam niti præcognitis, aut axiomatibus generalibus, quæ principia vocantur, aut haec principia esse. . . . His si adjuvamus per se claras propositiones omnes, quæ nascuntur ex distinctis nostris ideis omnibus, principia. . . infinita propemodum, *indefinita* saltem, erunt. „Arque ita est, axiomata, quo sensu dicuntur §. 10. indefinite multa sunt: quid inde? Ultimo tamen omnia resolvuntur in principium identitatis vel contradictionis. §. 25. Cetera propositiones *allegatae* vel definitionum loco sunt, ut si dicas, unum & unum esse duo; atque ita demonstrationes nec poscunt nec admittunt: vel supposita aliunde senari definitione dicis, ter duo esse sex; tum demonstrari potest per identitatem tuæ definitionis & facti ex multiplicatione orti, eoque supponitur *axioma universi Calculi fundamentalis*: Idem est æquale tibi ipsi. Illo casu habes principia: hoc demonstrata ex principiis.

§. 48. Fallitur adeo mea sententia Jo. Lockius, cum de iisdem principiis ita pergit: „dici potest, non pendere alia ex aliis, nihil lumen, nihil argumentum a se invicemducere; multo minus, quæ magis particularia sunt, a magis genericis, aut *simpliciora* a magis compositis: Quæ enim simpliciora sunt & minus abstracta, magis sunt in usu quotidiano, atque facilius & citius mentem subeunt. „Num alia ex aliis argumenta sumant? Vide in exemplis Wolfii §. 27. allegatis. Particularia esse generalibus simpliciora, *novum* est: communiter oppositum defendimus. Num illa mentem facilius atque citius subeant, vel, an illa magis naturalia sint nobis, quam generalia, uti Dn. Crouzaz contendit, non disputo: Certum est, ab uno ad alterum progredi sine periculo tantum in generalibus licere. v. *Lögique de Crouzaz* P. II c. V §. 4. p. 104. 1042. Nisque arbitror, cetera Lockii probare aliud *præter id*, non semper distincte mentem attendere generalibus, ubi de manifestis judicat: independenter a generalibus statuere, non probant. Videamus tamen & reliqua.

§. 49. „Velim, quis mihi scientiam ostenderet, ego me hercule nullam unquam inveni, quovis axiomatica, multo minus duobus istis, subinxam, *quicquid est, est; Impossibile est &c.* „Num Euclidem Lockius legit? Ille Geometriam axiomatibus superstruxit. An hoc poscit: universam disciplinam ex *una* propositione derivari? Vetat id Syllogismorum natura, quæ duas requirit. *Sin sub-*

*subjecta nobis & casus concedat*, quibus applicari propositio debat: Allegamus v. g. moralem disciplinam ex uno generali principio derivatam a non paucis. *An forte nescit Lockius*, leges motuum in conflicitu omnes derivari posse ex generali Newtoniano Axiomate, quod actio & reactio sint æquales & contrariae? sed perge argumentis, si placet.

§. 50. „Rogo, annon axiomata generalia eundem in *Theologia*, quem in aliis scientiis usum habent? Hic adhiberi solent ad tollendas controversias. Puto autem, neminem exinde dicendum, *Cbristianam religionem nisi axiomatis istis*, aut nos ab illis mutuari eam, quam habemus, istius cognitionem. Absque *revelatione*, unde hausimus eam, impossibile erat, ut axiomata ista Christi cognitionem nobis aperirent.„ Miraris argumentum Lector, neque solus tu, nam & ego miror. *Habent* sane, ubi applicari possunt, *eundem* in *theologia* usum: an igitur tam amplum? quis unquam in *naturalibus* omnia ex illis derivare axiomatis sustinuit? An *historica* non ex testimonio scriptorum? Leges atque Voluntatem Imperantium ex promulgatione? Observations atque experimenta, disciplinarum Physicarum & moralium fundamenta, derivamus ex experientia? Quid igitur in facris postular *Lockius*, quæ ne quidem in *naturalibus* quisquam promittit? Adhiberi tamen solent ad tollendas controversias in scientiis! Ita est: & in *Theologia* quoque, ubi licet. Sunt, quæ *obscenæ* deducimus ex philosophicis Canonibus: sunt, quæ *redundant* ex iisdem refellimus. Quis vulgata de *usu* principiorum rationis tradita non audivit?

§. 51. „Tertio nullius usus sunt ad progressus in scientiis.. Clarissimus *Newtonius* propositiones multas demonstravit, quæ veritates sunt orbi litterario prius inauditæ. . . . Ad eas investigandas non ille axiomatis istis generalibus, *quicquid est*, *est*, *sotum est majus sua parte*, aut *similibus usus est*. Ante argumentum, nunc miror & exemplum. *Newtonius* nonne Axiomata præmisit suæ tractationi; atque eo ipso nomine appellavit? Tertium ejus, ex quo universis conflicitum in corporibus Leges eruere licet, allegavi §. 49. Cetera videoas in Principiis Philos. Natur. Mathematicis p. 12. Non allegat illud universale: *quicquid est, est*? scilicet non scribit de *primis rerum omnium*

principiis metaphysicam tractationem. Neque alterum: Tolum est maius sua parte? Nimurum differunt *Geometria Transcendentalis* atque *Elementaris*: & ridiculus ille foret, qui theorematum elementaria, imo, altiora, supponens enumeraret tamen & sigillatim premitteret eorumdem principia. Denique an *definitiones Newtoni* non sunt ejus demonstrandi principia? quid autem in secunda supponit, cum ita arguit: Motus totius est summa motus *in partibus* singulis, adeoque in corpore duplo &c. Sed pergamus ad usum, *Lockio* quoque *concessum*.

§. 52. „Primo usus sunt in vulgatis methodis scientiarum tradendarum, in eo quem jam fecere progressum. . . Secundo, usui sunt ad *disputationes* litigiosas tollendas. In *Scholis* moris erat, animi dotes atque uniuscujusque acumen ingenii ex eo, quo pollebat, disputandi artificio metiri. . . ut igitur cautum esset, ne concertationes in *Syllogismos* infinitos excrescerent, generales quædam enunciations, ut plurimum per se claræ, in scholas introductæ erant. . . atque pro principiis habebantur, a quibus haud fas erat litigantibus recedere. . . Ex scholis, quæ scientiarum fontes putantur, Axiomata hæc in communitem civilem manarunt, atque usurpari solent ad litigantium ora obturanda, contra quos, per se clara *principia negantes*, haud ulterius disputandum est.“

§. 53. Sed vero hæc brevis indulgentia est Viri docti: redit illico ad axiomatum *probra*: „De Axiomatibus istis generalibus licet mihi aliud abduc notare, tantum nimirum abesse, ut illa aditum nobis aperiant ad veram cognitionem, ut, si in nobis notiones sint falsæ, vacillantes aut incertæ, atque inanæ potius sonos, quam stabiles & determinatas rerum ideas sequamur; nos potius *in erroribus* obfirmatiores reddant, efficiantque, ut inter se pugnantia plane dicamus.“ Nolo exempla repetere prolixius: *error est ex notionibus fallis*; & tribuitur axiomatis, imputatione scilicet participata præter antecedentem culpam. Idemque fons est criminum, quæ in seqq; expobrantur Axiomatibus: *Neque adeo* istis immorabitur diutius.

§. 54. Illud in *universa* tractatione videtur mihi, Virum Eruditum *impugnare umbras*: Nemo duas illas propositiones genera-

neralissimas eo sensu principia dixit, ut *sine illis distincte cogitatis agnoscere nullam propositionum evidentiam possis; ex illis vero, & solis quidem, integras eruere disciplinas, iusmo Theologiam sine omni revelatione queas addiscere.* Resolvi autem omnium propositionum veritatem in illa *principia*, & ex generalibus axiomatis posse conclusiones non ante detectas, aut minus sufficienter assertas, etiam a priori erui, & firmari, non refutant argumenta *Lokii*: Et si cetera videri velit adstruere, quod generalia potius a specialibus debeat probari, an explicari? Vacillat enim & mutat terminos, cum §. n. contendit: „Si num istorum per alterum probandum esset, magis consentaneum esse, ut generale illud per singulare, quam singulare per generale explicaretur.“ Nimimum ut explicare Regulam exemplo liceat; probare ex singulare generali non licet!

§. 55. Ut igitur usum Axiomatum concedas in scientiis: Fortasse illud praestolaris amplius, ut de *vulgato Aristotelicorum praecepto* differam, quo alia alii scientiis propria fecerunt, neque admiserunt, *ex uno genere in aliud sine culpa fieri transirem* posse. Rebus illi de Canonibus, quorum pro diversa disciplina *sensus variat*: At qui proscriptissimus, quæ vaga sunt significatio, dicteria, eaque *solum* Axiomata admisimus, quorum tanta necessitas est, ut oppositum propositionis ipsum sibi contradicat. Quin illa sunt *universalia*, & cognitioni omni humanæ communia, dubitare nemo potest. Neque idem Canon est, quem in Physica verum, in Theologia falsum dicimus. Eadem sane verba sunt; *sensus* idem non est. Non est igitur *idem Axioma*.

§. 56. Facilius autem, nisi fallor, *hac via* est, quam si distinguere inter disciplinas subordinatas & non subordinatas, itemque inter principia physica & metaphysica necessum sit: Breve siquidem id *examen* est, neque litibus fecundum, si attendas solum, *an* propositio, allegatae opposita, sit in se ipsa statim contradictoria? Si fuerit, portas axiomati omnes aperio: si secus, claudio illi universas. Opinor etiam, id *concordia veritatum* & scientiarum mutua accommodatius esse, & honorificentius; quam si illas videar committere, separatis unamquamque

que Jurisdictionibus ita concludens, ut mutuo cives trucidentur, si ultra fines forte suos in suburbia vicinorum exspatientur. *Unum ego veritatum omnium supremum fontem agnoscō: eundemque sibi ipsi consentaneum*, quia divinum; in necessariis quidem veritatis intellectum DEI, in contingentibus voluntatem quoque: utrumque ex tentatione ill. Leibnitii (v. Theodic. §. 7. 184. 189. 335. Principia Philos. Leibnit. §. 41. sqq. Recueil. T. II. p. 333.) & Christiani Wolfi in Institut. metaph. §. 975. 976. & Ratione Praelectionum S. II. c. 2. §. 9. 10. p. 142. 143. *Pugnania autem quis ab Ente simplicissimo derivet, & perfectissimo?* Addo, si placet, dicta Celeberrimi Croze in Logica, P. III. c. 2. §. 10. p. 1166. sqq. & quousque illa valeant, aut admitti possint, per Te ipsum statue.

§. 57. Atquē ista quidem de Axiomatis: Spectra illorum æmula hic conjurare non licet; arctior profecto locus est, quam ut illa capiat. *Prajudicia intelligo*, quæ Axiomatū honores usurpant; & privilegia etiam extendunt: *Idola Versaliam* dicta, quod cultum, veritati debitum, profano ausu sibi arrogent. Nimirum Axiomatis, non aliunde demonstratis, authenticē credimus: *idem vero & prajudiciis vulgo tribuitus*. Neque hic subsistimus: largimur plura; quia sequimur quoque, non iudiciis solum, sed vel maxime actionibus. Non ibo per singula; quis enim hoc possit? Velim ipse disquiras, num extorta fint, & vehementer vulgaria, quæ in compendio perstringit eloquentissimus Crousaz. P. II. Logica c. VI. §. 4. & sqq. T. III. p. 1053. . . 1072. Cujus etiam effato univerſam hanc tractationem absolvo. Eleganter ille, & ex solidō: „Dans tout le Cours de la Vie on devroit se faire un scrupule extrême de decider sur quoi que ce soit, qu'à proportion, que l'on est éclairé: on devroit s'accabler de reproches intérieurs, dès que l'on se surprendroit à juger par d'autres motifs.“ v. T. III. p. 1096.

F I N I S.

00 A 6398


ULB Halle  
002 916 606

3



5b.





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

17  
*QVOD FELIX FAVSTVMQVE  
DEVS FAXIT.*

DE  
**AXIOMATIS  
PHILOSOPHICIS  
ARTICVLOS GENERALES,**

CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACVLTATE  
PHILOSOPHICA ,

DIE SEPTEMBRIS A. M DCCXXII. H. L. Q. C.  
DEFENDENT

**GEORGIVS BERNHARDVS  
BILFINGER,**

PHILOS. MAG. ATQVE PROFESS. EXTRAORD.

ET

JACOB. FRIDERIC. MÜLLER, *Brackenheimensis*,  
ARTIVM LIBERALIVM CVLTOR, ET SEREN.  
STIPENDIARIVS.

*RECUSA  
IENAE,  
LITTERIS CHRISTIAN. FRANC. BVCHIL.*

